# DISSERTATIO

N° 107.

DE

# OSTEO-SARCOMATE;

*Quam in Facultate medicâ parisinâ, die maii vigesimâ octavâ* 1819, *disceptandam proponit ad medicinæ Doctoris gradum promovendus,*

CONSTANTINUS BOULLIER,

In præclarâ litterarum Facultate Baccalaureus.

Ὁ καιρος ὀξυς.

PARISIIS,
EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1819.

# FACULTAS MEDICA PARISINA.

*Professores.*

D. LEROUX, Decanus.
D. BOURDIER.
D. BOYER.
D. CHAUSSIER.
D. CORVISART.
D. DEYEUX.
D. DUBOIS.
D. HALLÉ.
D. LALLEMENT.
D. PELLETAN.
D. PERCY, *Examinator.*
D. PINEL, *Præses.*
D. RICHARD.
D. THILLAYE.
D. DES GENETTES.
D. DUMÉRIL.
D. DE JUSSIEU.
D. RICHERAND, *Examinator.*
D. VAUQUELIN.
D. DESORMEAUX, *Examinator.*
D. DUPUYTREN.
D. MOREAU.
D. ROYER-COLLARD.
D. BÉCLARD, *Examinator.*
D. MARJOLIN.
D. ORFILA, *Examinator.*

Nono decembris mensis die, anno 1798, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

AMANTISSIMO PATRUO,

ALTERI PATRI,

YTHERIO-RENATO BOULLIER,

In regio Versaliarum collegio Professori;

CLARISSIMO VIRO,

FRANCISCO DEGUISE,

Doctori medico, regii Carentonis nosocomii anteà Chirurgo primo, ex pluribus scientiarum et artium academiis.

*Offert in reverentiæ simul et grati animi pignus,*

C. BOULLIER.

AMANTISSIMO PATRUO,

ALTERI PATRI,

# YTHERIO-RENATO BOULLIER,

In regio Versaliarum collegio Professori;

CLARISSIMO VIRO,

# FRANCISCO DECUISE,

Doctori medico, regii Ceremoniis nosocomii antea Chirurgo primo,
ex-pluribus scientiarum et artium academiis.

Offert, in reverentiæ signum, et gratæ animi pignus,

C. BOULLIER.

# INTRODUCTIO.

Dissertationibus herclè non deest materia; imò ampla et plurima candidatis suppetit argumentorum seges, circa quæ delectu tantùm maxima pars horum hæret impedita. Nonnullos tamen videre est fortuito casu in quædam medicæ artis practica vi tantâ, si fas est dicere, abreptos, ut vix ac ne vix quidem à talibus disserendis sibi temperare queant. Haud aliter mihi, cùm in variis Parisiorum nosocomiis rara aliquot occurrerent osteo-sarcomatum exempla, in mentem venit, propensione nimirùm naturali, ut hanc materiem, pro parte virili agitatam, inauguralem quasi thesim proponerem.

Nova porrò de morbi hujus genere dicendi gloriam non æmulor, atque abundè ad voluntatem fluent cuncta, modò inconcussum exindè maneat mihi, ex puris fontibus haurienti, doctas non incassùm cecidisse illustrissimorum professorum lectiones.

Vir clarissimus professor *Boyer* sub *osteo-sarcomatis* nomine cunctos ad unum intelligit ossium tumores, quibus varia varii auctores *spinæ-ventosæ*, *pædarthrocaces*, *carnificationisque* indiderunt nomina (1). Hoc autem in

(1) Traité des maladies des os, rédigé par M. *Richerand*, t. 2.

opusculo meo, de illâ tantùm præfati morbi varietate agetur quæ, mollium partium carcinoma referens, totum infestat corpus, quæque, si ex unâ parte fuerit extracta, ad aliam usque sæpiùs grassatur longè gravioribus adhuc quàm primâ vice symptomatibus stipata.

His prælibatis, incœptum aggredior atque, absoluto penso, osteo-sarcomatis genus quoddam singulare saluberrimæ Facultati ponderandum subjiciam.

# DISSERTATIO

DE

# OSTEO-SARCOMATE.

Osteo-sarcoma ex duplici voce græcâ οστεον, *os*, et σαρξ, σαρκος, *caro*, undè σαρκωμα, ossium cancrum nec immeritò dixerim, si quidem partibus mollibus inhærentem cancrum ad amussim referat. Et verò ossis depravatio, qualem exhibet osteo-sarcoma, non solùm corruptis in cancro mollibus partibus similitudine accedit, sed symptomata etiam, tùm localia tùm generalia, eadem prorsùs in utroque morbo occurrunt, totumque versatur discrimen in partium quibus incumbunt texturis. Quem infestat diathesis cancrosa, hujus certè corporis alia vel altera pars diræ pesti obnoxia subjacebit, neque est cur ossa haud aliter ac partes molles non invadat morbus.

Nullum ex ossibus luis præfatæ expers. Quam tamen professor *Boyer* supra os innominatum sæpiùs observavit.

Adsunt equidem, ut multos inter auctores constat, osteo-sarcomatis causæ, verbi gratiâ, lues venerea, strumosum vitium, scabies, lichenes, rheumatismi, mentis etiam affectus melancholici, venus nimia, vis quoque corpori illata. Hæc autem omnia ansam solummodò osteo-sarcomati præbere videntur, vel illud promovere:

usque nunc enim, quòd in iis causa efficiens reperiatur, nullum hercle proferri potuit argumentum. Et verò interdùm ex plagâ acceptâ vel lapsu facto, sed multò sæpiùs ex ignotâ causâ malum subire. Quidquid sit, osteo-sarcomatis causa saltem efficiens minimè patet. Undè actionis directæ aut indirectæ virus cancrosi super ossa quibus insidet consectarium illud esse, veritati maximè consonum apparet, uti doctissimus innuit professor *Boyer*.

Ab initio ægrum pungunt acuti dolores, longè quælibet antè tumefactionis indicia. Acriores porrò magis ac magis fieri, prout altiùs pestis grassatur; jamjamque tumor incrementum nactus totius membri circuitum ambire : cui elastica aliquandò, æqualis levisque adest superficies, quàm sæpissimè autem dura, inæqualis ac tuberosa. Videre est etiam, certis in casibus, malum ab osse serpens ad partes usque molles quibus circumtegitur. Intereà cutis inflammari, undè exulcerationes, quas verè cancros nominaverim, exoriuntur. Tùm verò horrendâ æger consumptione simùl et dissolutione colliquativâ usque eò laborare, ut de vitâ ejus omninò sit desperandum.

Quæ quanquam ita sint, non eodem semper impetu malum grassari, imò per annos integros, absque gravi ægrorum incommodo, stationarium remanere, doloris denique sensus ad tempus quoddam vel breve vel diuturnum sese obtundere.

Osteo-sarcomatis diagnosin, morbo præsertùm ineunte prorsùs ambiguam, difficilè perspexeris, cùm per longas moras invaluit lues. Ea namque multiplicem aliarum affectionum speciem fingere potest, exostosim, verbi gratiâ, anevrisma, plurimosque alios varii generis tumores, nonnullosque videre est, etiam quàm peritissimos, qui nubem pro Junone amplectantur; cujus rei exemplum insigne ad calcem thesis referam.

Prognosis quidem pessima : natura enim atrum adversùs morbum hunc impotens prorsùs, cursum ejus nec frænare valet, nec cohibere; ars porrò expeditam præter membri amputationem nullum aliud remedium subministrat.

Osteo-sarcomatis curatio, uti mox dictum est, in amputatione membri quod dira infestat lues tota consistit. Operatio autem incassùm sæpiùs exire : malum enim iterùm pullulare : seu tardiùs illud perspexeris, seu vehementissimis æger actus doloribus, statutum tandem, sed seriùs, habuerit ut res perageretur. De cætero satis constat, tempore opportuno factâ operatione, non rariora fore in osteo-sarcomatibus quàm in mollium partium cancris sanationum exempla.

Si summum morbus attigerit fastigium, vel trunci quoddam os affecerit, tùm verò, derelictâ utpotè impossibili ablatione præfatâ, ad remedia dolores solùm levantia confugiendum, scilicet ad opii usum intrinsecùs et extrinsecùs jussum.

Scrutanti cuicunque artibus anatomicis partes in cadavere vitiatas facilè patebit cancrum hîc adesse, quem diversæ possunt facies prodere. Os porrò ad certum usque ipsius spatium quandoquè turgescit, substantiamque torosam lardaceamve superinduitur, in quâ massas magis minùsve concretas texturæ scirrhomati proximæ discreveris, vel cujusdam cerebriformis materiæ. Sæpiùs etiam, haud secùs ac in cæteris tumoribus cancrosis, serosæ occurrunt vel sanguineæ suffusiones, vel densæ cujusdam substantiæ congeries perlucidæ et gelatinæ similis. Has verò varias partis cujuslibet depravatæ formas retioli genus quoddam complectitur, osseis cartilaginosisve laminis effictum. Certis in casibus, in superficiem ossis circumvoluti videtur sese tumor explicuisse ; aliàs ex interiori canalis medullaris hunc suboriri diceres, atque ad extra viam sibi aperuisse, osseo canali quadamtenùs dilatato. Tùm verò in majus minusve spatio quodam cylindrus osseus patere, et in circuitûs parte rimam agere latam valdè et rotundam, cujus ab extremis circumjectisque locis laminarum ossearum series multiplex exsurgit, quibus intra se invicem transversùm commissis tumoris tota effingitur structura.

Per diathesim cancrosam intelligitur habitus quidam corpori humano ingeneratus, undè cancro possit infestari. In hoc autem

habitu osteo-sarcomatis recidivi, quanquam primâ vice stirpitùs evulsum fuerit, vera et unica constat causa. Diù quidem, nullo quamvis exteriorî patescat indicio, habitus ad cancrum potest inesse. Non idem herclè illi intensitatis semper adest gradus, ideòque ex levissimo, apud quosdam homines, principio pestis cancrosa emergit, apud cæteros verò non nisi ex multiplici et gravissimo causarum concursu. Indè etiam quandoquè malum, factâ vix operatione, subitò renasci; aliàs verò contrarium contingere.

Contagium-ne osteo-sarcomati adest?

Institui tantùm potest hoc argumentum quandò, mollibus jamjam exulceratis partibus, ad extrà penitùs prodit morbus. Quidquid autem sit de *Zacuti-Luzitani Tulpii*que et *Peyrilhii* annotationibus ut res comprobata teneatur, nullum tamen ex cancro morbum contagio laborare inconcussum usque nunc manet. Et verò exulceratis de cancris manantem saniem canibus absorbendam dederunt DD. *Alibert* et *Biett;* eò fortitudinis imò devenerunt, ut istud sibimet ipsis virus inocularent, neque unquàm vel levissima contagii vestigia experimentum subsecuta sunt.

Habitus ad cancrum avitum ne malum haberi potest? D. *Bayle,* quem arti medicæ mors præmatura rapuit, quædam ut oculatus testis enarrat undè res confirmari queat. Familiam, verbî gratiâ, quinque conflatam individuis ipse vidit, ex quibus uni ad sinum cancer, alteri ad faciem inerat, dùm tertii ventriculum scirrhus infestaret. Insigne etiam ejusdem generis quoddam à doctissimo professore *Boyer* refertur in opere quod de morbis chirurgicis edidit, de muliere scilicet cui nomen Victoria-Maria Pelerin. Hæc porrò mulier, trigesimum annum agens, osteo-sarcomate interiit; patrique etiam ejus, fratribus et sororibus, nepotibus insuper natisque, a teneris unguiculis, ossea suberant tubercula. Hîc porrò forsan de simplici agitur coïncidentiâ. Intereà, si mentem mihi fas esset aperire, ab illustrium profectò virorum, quos suprà nominavi, partibus starem.

*Observatio de Osteo-Sarcomate humeri anevrisma mentiente.*

Franciscus Leclerc, professione vinitor, vici cujusdam propè Meldas incola, optimum aliundè à naturâ habitum corporis sortitus, nosocomium vulgò dictum *l'Hôtel-Dieu*, aprilis die decimâ-quartâ 1815, ingressus est.

Ingenti miser tumore laborabat in longitudinem, circuitumque brachii dextri penitùs protenso, a quatuor nempè transversis supra cubiti articulum digitis, infra claviculam usque.

Ex hujus autem non semel interrogati responsis patet, ex nuce triginta circiter pedibus altâ, vigesimâ-sextâ septembris die 1813, delapsum, arboris unum ramum, quo casum integrum vitaret, dextrâ arripuisse, sicque suspensum hæsisse donec, sinistrâ etiam apprehenso ramo, arborem rursùs scanderet, ex quâ confestim, nimio dolore dextram scapulam invadente pressus, descenderit. Et verò hoc brachium pendens immotumque penitùs subindè remansit.

Extemplò ad ineptum quemdam vici chirurgum infelix se conferre. Iste porrò, cùm in omni sensu agitatum brachium torqueret, multùm intumuit scapula; topicis tamen quibusdam remediis dolor simul et tumor eò usque evanescere, ut mense decembri sequenti terram denso constrictam gelu ligone posset fodere, quamvis sinistro præsertim uteretur brachio.

Mense januario 1814, relictâ agrorum culturâ Leclerc, utpotè novos inter milites jamjam scribendus, in armis tractandis cùm sese voluisset exercere, summamque in brachio dextro debilitatem sensisset, Melodunum nihilominùs petiit, quinque autem vix elapsis diebus, vicum natalem, morbo increscente, regressus est.

Hîc porrò nova misero malorum series exoritur : scilicet in pago sus necanda erat : interfectori operam subministrat Leclerc; sed præcipiti et repetito animalis impetu ægrum rursùs brachium vehementer torquetur : indè quovis prorsùs motu orbari, secundùm-

que corpus, ut ipsâmet casûs die, totum decidere. Ineptus idem accersitus chirurgus brachium uti primâ vice lacessere, scapulam plurimis vividisque doloribus fatigare, nec ideò, quamvis in dies malum ingravesceret, levibus æger laboribus abstinere ad vigesimam usque diem martii 1814. Tùm verò cunctis omni generis laboribus hostium invasione præclusis, mitellâ brachium sibi involvit Leclerc usque ad decimam-quintam maii sequentis, ex quo tempore in plantario mercede conductus egit, solam brachii defatigationem expertus, quâ tamen inter cœnandum vacaret, vel cùm per noctem pretiosissimo sibi somno indulgeret. Sic nimirùm per duos menses æger degere.

Julii decimâ-sextâ ad messem faciendam sese Leclerc accingere; arduo autem labore dolor statim augeri; cùmque tridui spatio jamjam non ferendus fieret, quidam in superiori brachii parte apparuit tumor pulsationis, ut ait ipsemet æger, motibus insignis, cui etiam sex intra dies ingens succrevit moles. Utut sit, laborum vir patiens, cui nullum aliundè vivendi medium suppeteret, brachiatam super cratem carbonem ligneum ferre coactus, triduo diutiùs novam non posse artem exercere.

Otiosus igitur, brachiumque mitellâ involutus ad vigesimam-primam usque octobris diem remanere, dùm interea latiùs grassaretur tumor, intra quem, ex ægri confesso, pulsationes quædam agebantur. Tùm verò nosocomium præfatum adiit, artis medicæ peritos consulturus, inter quos illustrissimus vir professor *Dupuytren* pro brachii amputatione stetit innuendo, nil prorsùs quamvis assereret, agi de anevrismate.

Propositum renuit æger, et sese veterinario cuidam curandum tradidit. Qui quidem, cùm in variis tumoris partibus causticæ potassæ fragmenta hujus, ut aiebat, resolvendi causâ applicuisset, ceciderunt crustæ, triaque superfuerunt vulnera parùm suppurantia, ex quibus duo ad sanationem mox evasêre.

Indè nil novi ad tertiam usque februarii sequentis diem, quâ nempè gravis per plagam adhuc exstantem hæmorrhagia fieri, ru-

tilus autem sanguis fornicis instar saltibus continuis profluere, quos tamen, tumore non imminuto, facilè compressit vici chirurgus.

Vigesimâ-sextâ et vigesimâ-octavâ martii, hæmorrhagiæ novæ eodem planè inhibentur modo.

Die vigesimâ-nonâ, exorta tribus simul saltibus hæmorrhagia sponte cessavit.

Lecto igitur per quosdam dies detentus æger, ad nosocomium tandem suprà dictum, decimâ-quartâ aprilis, se conferri passus est.

His porrò auditis, doctissimus vir professor *Pelletan*, anevrisma suspicatus, tumorem maximâ cum attentione scrutari. Cui quidem varicosis perfuso venis, quarum ex hiatibus emergere potuerant hæmorrhagiæ, per totum ambitum eadem prorsùs aderat æqualitas. Humeralis arteriæ pulsus per se naturales, paululùm etsi molles, quippè cutem illa conglutinaret, distinctis vicibus in omni trajectu sensisses, dùm ne minimus quidem quâvis aliâ vasti tumoris parte pulsus adesset. Malum autem, quoad substantiam elasticum, profundâ quâdam, sed obscurâ fluctuatione laborare videbatur. Intereâ motûs communicatione super brachii continuum tentatâ, os manifestè confractum apparere ad quatuor transversùm suprà cubiti articulum digitos, quò nimirùm desinebat morbus.

Ad hæc, professor *Pelletan* osteo-sarcoma statim declarare, nullam tamen extremam aggressus operationem, dolores si tantum falleret satis habere, ut fatalem usque horam non longè distantem leniùs æger perveniret.

Ecce autem primâ maii nova rerum et inopinata exoritur facies: susurrus nempè infra claviculam, in ipso arteriæ axillaris transitu auditur, atque duobus elapsis diebus, rursùs sub axillâ, sed lentior, exsurgit; cùm autem certos semper pulsus edat humeralis arteria, cùmque aliundè arteria subclavia, duos inter scalenos musculos dùm transit, facilè comprimatur, susurrus sic naturalesque pulsus vanescebant.

Trigesimâ aprilis die, non mediocris de novo exorta fuerat hæ-

morrhagia, quasi suaptè iisdem mediis sedata. Hîc verò professor *Pelletan*, ex evidenti ossis rupturâ de malo dubius quamvis paulò hæreret, ad anevrismatis ideam redire, morbum scilicet ex talium genere arbitratus quæ in suo opere anevrismata *secundùm Pott* nuncupaverit (1). Quisque autem professoris sententiam, utpotè magis consolatoriam, dùm foveret, statutum ille ac deliberatum tandem habere ut membrum amputaretur, atque nobis in clinicâ lectione modum exposuit quo res peragenda esset.

In casu vel maximè simplici, adjutore delecto qui subclaviam arteriam comprimeret, cultellum retrò musculum grandem pectoralem, longè ab axillæ cavo distantem, ducendum sibi statuerat, cujus ope, cùm hunc ad humerum versùs direxisset, musculi tunc ligamina ad bicipitis colliciam resecaret. Tali porrò segmine axillaria prorsùs patebant vasa quæquidem, ligatu facilia, penès operatorem cætera quæ supererant facienda relinquerent. Undè anevrismalis sinûs evacuatio facilis, nec non et ejus mundatio; undè etiam ex ossis humeri statu membri servatio tentaretur vel, osse supra depravationem secto, humeri saltem pars superior extaret; undè tandem, si nihil meliùs agendum occurrisset, humero à suo articulo superiori secreto, segmina vel maximè ad plagæ sanationem idonea servarentur.

Ex acerrimis tandem ægroti doloribus, nec non et repetitis precibus, professori *Pelletan* ratum deliberatumque fuit ut, eâdem die horâ ante meridiem undecimâ, operationem aggrederetur, quò scilicet astantium frequentiâ simul et tumultu vacuus, sedatis animis ac perattentè arduam adeò rem absolveret.

Aptè igitur collato patiente, ex adjutoribus unus arteriam subclaviam comprimere, professorque, tenax propositi, pectoralem musculum inter et axillæ cavum claviculam usque cultellum introducere, musculique ligamen, quò bicipitali astringitur colliciæ

(1) Vide Clin. chir., t. 2.

humeri, excidere : sectione verò vix factâ, ex plurimis sanguis aditibus prosilire, saltibus quidem admodùm amplis et fornicem referentibus, dùm nulla tamen arterialis pulsûs indicia præberentur, arteriaque solùm ex cutaneis una pennæ caulem adæquaret. Adjutoribus vix tempus superfuit manibus appositis salientes aditus obstruere, qui successivè detecti singulatim alligati fuerunt. Hoc nempè modo cohibitus sanguis non ampliùs diffluere ; cùmque professor *Pelletan* super humeralem arteriam, cujus idem remanserant pulsus, manum apposuisset, certior indè factus axillaris truncum non constrictum fuisse, singulosque ramos undè tanta sanguinis copia exundaverat, nihil aliud prorsùs esse nisi quasdam contrà naturam dilatationes, truncum statim humeralem quæsivit, cujus quidem haud difficilè peracta fuit ligatura.

Compresso sanguine, otium ægro permissum est, vinumque illi necnon et acetum quo aspersus fuit vires recreare. Cùm verò ad alia procedendum foret, patienti altâ super tumorem incisione factâ, manifestum fuit professori *Pelletan* de osteo-sarcomate reipsà agi per totam humeri longitudinem protenso, quemadmodùm ipse ab initio censuerat, ad pseudo usque symptomatum incrementa, undè aliena menti occcurrerat sententia. Maximâ igitur tumoris parte extractâ, rem totam absolvit, non immodici sanguinis copiâ effusâ, tumoris etiam portione quâdam scapulæ adhærente.

Tùm tandem invictum nobis patuit argumentum anevrismalen haudquaquam sinum sanguineumve fomitem extitisse, morbum que ex cancroso tumore penitùs ortum, cujus quidem moles immensa stricto humeralis arteriæ trunco, superiores ramos truncosqu axillaris et subclaviæ arteriarum ultra modum explicuerat. Posteriori quippè tanta inerat relaxatio, ut, musculos inter scalen compressione factâ, propiùs tamen parietes ejus adhærere nequirent.

Consuetâ vulneri curatione admotâ, ad se rediit æger, cui ex postulatis pulsûsque optimo statu concessum ut in cubile deferretur. Ingens sanè sanguinis effusio, nimius autem terror miserum

invaserat. Duabus cum quadrante post cubitum horis obiit æger, cùmque horâ ipsâ undecimâ operatio incœpta quadrante prorsùs fuerit absoluta, in lecto jacebat miser sub undecimam sesquihoram, ibique secundâ ferè post meridiem horâ extinctus est.

*Membri autopsis.* Ex resecti membri autopsi lymphaticam nobis texturæ humeri interiùs exteriùsque explicationem licuit intelligere, quæ quidem in parte inferiori desinebat quò, dùm viveret mortuus, confractum os apparuerat : in superiori autem pestis morbi, sublato ipsomet diploë capitis humeri, cujus cartilaginosa tantùm supererat crusta, totam adeò compagem ossis irrepserat, ut ex croceo ejus colore dignosceretur medullæ moles quæ tumoris tunc, haud aliter ac anteà ossis, medium tenebat.

Sana prorsùs cutique appressa nobis occurrit humeralis arteria. Quòd ad arteriales truncos, ne nullâ quidem illi ligaturâ irretiti steterant ; non idem porro de thoracicis, scapularibus, acromialibus ramis, de humerali circonflexâ necnon et de subcutaneos inter ramulos uno. Horum enim ramulorum quisque major, quàm ipse vulgò constat truncus, apparere. Cæterùm, ne minima sanguinis congeries existere, neque ullum anevrismalis tumoris indicium. Qui porrò mentem luserant susurri ex saltibus oriebantur sanguinis, qui, cùm in dilatatos pelleretur ramos, reluctantem adversùs tumorem propriis ipse motibus illisus frangebatur.

*Nota.* Fibris ad ossis totius perpendiculum exactis conflatus videbatur tumor, osseisque admodùm scatebat fibris, quarum unicuique specialis sua aderat facies.

# ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΑΦΟΡΙΣΜΟΙ.

## Α'.

Ὁ βιος βραχυς, ἡ δὲ τέχνη μακρή, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πείρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρισις χαλεπή. Δεῖ δὲ ἑ μόνον εαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιεοντα ἀλλὰ καὶ τον νοσέοντα, καὶ τὲς παρέοντας, καὶ τὰ ἔξωθεν. (ΤΜΗΜΑ ΠΡΩΤ., ἀφορ. ά.)

## Β'.

Ες δὲ τὰ ἔσχατα νεσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ες ακριβείην κράτισαι. (ΤΜΗΜΑ ΠΡΩΤ., ἀφορ. ς'.)

## Γ'.

Α᾽ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλισ᾽α ῥέπῃ, ταῦτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων, χωριων. (ΤΜΗΜΑ ΠΡΩΤ., ἀφορ. κά.)

## Δ'.

Ὅκε παραφροσύνην ὕπνος παύῃ, ἀγαθόν. (ΤΜΗΜΑ ΔΕΥΤ., ἀφορ. β'.)

## Ε'.

Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ· τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως. (ΤΜΗΜΑ ΔΕΥΤ., ἀφορ. ζ'.)

## Ζ'.

Ὅκε λιμὸς, ἑ δεῖ πονέειν. (ΤΜΗΜΑ ΔΕΥΤ., ἀφορ. ις'.)